

# DE INSTITUTIONE LECTORUM

## Prænotanda

1. Institutio Lectorum fit ab Episcopo aut a Superiore maiore clericalis Instituti religiosi, vel intra Missam, vel in celebratione verbi Dei.
2. Lectiones sumuntur, sive ex toto ex parte, e liturgia diei vel ex iis quæ infra, pp. 31-32, proponuntur.

## De institutione Lectorum

3. Dicto Evangelio, Episcopus in sede parata sedet cum mitra. Diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens:

**Accéderunt qui instituéndi sunt in ministério Lectórum.**

Candidati nominatim vocantur. Singuli autem respondent:

**Adsum.**

Et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt.

4. Tunc, omnibus sedentibus, Episcopus homiliam habet, quam his vel similibus verbis concludit, candidatos ipsos alloquens:

**Fílii caríssimi,**

**Mysterium salutis Deus Pater revelávit et implévit per Fílium suum, hominem factum, Iesum Christum, qui, postquam ómnia nobis enarrávit, Ecclésiæ suæ munus concrédidit Evangélium prædicándi universæ creatúræ.**

Lectóres seu verbi Dei relatóres effécti, adiutorium huic múnéri præstábitis, et proínde peculiáre offícium in pópulo Dei suscipiétis, et servítio fídei, quæ in verbo Dei radicátur, deputabímini. Verbum enim Dei in coetu litúrgico proferétis, púeros et adúltos in fide et ad Sacraménta digne recipiénda instituétis, nuntiumque salútis homínibus, qui adhuc illud ignórant, annuntiábitis. Hac via et vestro auxílio, hómines ad cognitiónen Dei Patris Filiíque eius, Iesu Christi, quem ipse misit, perveníre póterunt et vitam ássequi ætérnam.

**Cum vero áliis verbum divínū annuntiábitis, Spirítui  
Sancto dóciles et ipsi illud suscípite, séduli meditémini, ut  
suávem ac vivum eius afféctum plénius in dies vobis  
acquirátis; conversatióne autem vestra manifestáte Salvatórem  
nostrum Iesum Christum.**

5. Homilia expleta, omnes surgunt. Episcopus, sine mitra, fideles ad orandum invitat, dicens:

**Deum Patrem, fratres caríssimi,  
suplíciter deprecémur,  
ut hos fámulos suos, ad ministérium Lectórum eléctos,  
benedícere dignétur,  
quátenus, múnere sibi créditu sédulo fungéntes,  
Christum annuntiántes,  
gloríficent Patrem qui in cælis est.**

Et omnes per aliquod temporis spatum in silentio orant.

6. Deinde Episcopus prosequitur:

**Deus, fons omnis lúminis et bonitátis,  
qui Unigénitum tuum, Verbum vitæ, misísti,  
ut dilectionis tuæ mystérium homínibus reveláret,  
hos fratres nostros, ad ministérium Lectórum eléctos,  
benedícere + dignérис,  
Præsta ut, verbum tuum iúgiter meditántes,  
et eo váleant erudíri  
et frátribus id fidéliter annuntiáre.  
Per Christum Dóminum nostrum.**

Resp.

Amen.

7. Singuli candidati ad Episcopum accedunt, qui illis tradit librum sacræ Scripturæ, dicens:

**Accipe librum sacræ Scripturæ et verbum Dei fidéliter trade,  
quo magis in córdibus hóminum vigéscat.**

Lector respondet:

**Amen.**

Interim præsertim si multi sunt candidati, cani potest psalmus 18 vel alias cantus aptus.

**8.** Si institutio Lectorum celebrantur intra Missam, hæc continuatur de more. Si vero institutio Lectorum cum celebratione verbi coniungitur, Episcopus coetum congregatum benedicit et dimittit, more solito.